

dium xyphi prosterni subattingente. Antennae articulo secundo lineari, longo. Pronoto basi longitudine duplo (σ) vel fere paullo magis quam duplo (φ) latiore, apice longitudini aequalato (σ) vel hac distincte latiore (φ), callis optime discretis, marginibus omnibus impressis. Hemielytra abdomen longe superantia. (Pedes speciminum posteriores desunt).

21. *Psallus cunealis* Reut.

Diagn.: Inferne rufescenti-fuscus, marginibus acetabulorum orificiisque metastethii anguste albis, capite, pronoto scutelloque fusciscenti-rubiginosis, vertice stria transversali pronotoque limbo apicali nec non scutello gutta basali utrinque pallide flaventibus; hemielytris dilutius fusciscenti-rubiginosis, margine corii exteriori margineque apicali pallidis, angulo interiore apicali vittula alba signato, cuneo fere cinnabarino-rubro, arcu basali, apice marginibusque albis; membrana cum areolis aequaliter griseo-fumata, venis griseis, connectente albida, macula parva ad apicem cunei hyalina; antennis flavo-testaceis, articulo primo ima basi annuloque anteapicali nec non extrema basi secundi nigris, secundo (σ) margini basali pronoti aequae longo; pedibus flavo-testaceis, femoribus parcius fusco- vel nigro-punctulatis, tibiis set breviter nigro-spinulosis, punctis paucis minutis nigris signatis; vertice maris oculo duplo latiore. Long. σ $3\frac{1}{2}$ mm.

Hab. in montibus Turkestanicae prope Dschilarik! d. 18 Julii, D. Prof. J. Sahlberg.

Descr.: Ab omnibus affinibus colore antennarum et cunei, nec non tibiis parce et minute punctatis mox distinguendus. Corpus maris valde oblongum, superne tenuiter aureo-pubescentis, pilis faciliter divellendis. Caput basi pronoti circiter $\frac{2}{5}$ angustius, piceum, guttis duabus marginis verticis subconfluentibus pallide lutescentibus. Oculi laeviusculi. Rostrum pallide flavo-testaceum, apicem coxarum posticarum attingens, apice nigro. Antennae articulis duobus